



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Conciliabvlvm Arianorvm Singediminvm In Mysia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

CONCILIABVLVM ARIANORVM  
IN CARIA.

## NOTA.

Valens im-  
perator in  
gratiam v-  
xoris fidem  
mutat.

Valens imperator hæcenus catholicus, in procinctu Gothico propter Procopii tyrannidem anno imperii sui tertio, qui est Christi 366. feliciter debellatam, bono consilio salutarem baptismum expetens, vxoris Arianae blanditiis, pessimo consilio ad Arianos transierat, & ab Eudoxio Arianorum nequissimo baptizatus, ab eodem iuramento obstrictus fuerat, vt in impio suscepto dogmate perseueret, & diuersa sentientes vbique ecclesiis exigat. Cum itaque impulsu Eudoxii Constantinopolitani iniquo furore non tantum catholicos, sed etiam Nouatianos, Macedonianos & Semiarianos exagitaret & persequeretur, Arianeam occasionem captantes, nouas Synodos indicere & congregare coeperunt. De hoc eorumdem Conuenticulo hæc scribit Sozom. lib. 6. cap. 12. *Cum autem iam Concilium Tarsi cogeretur, circiter triginta quatuor episcopi Asiani in Caria, quæ est regio Asia, in vnum congregati, studium in ecclesia concordia stabilien- da positum probabant illi quidem, sed tamen vocabulum consubstantia- lis reuiciebant, constanterque affirmabant, formulam fidei Antiochia & Seleucia editam, tenendam esse: quippe quæ etiam a Luciano martyre ante edita habebatur, & non sine multorum tum periculorum, tum la- borum susceptione, ab his qui ipsos aetate anteibant, confirmata. Impera- tor vero impulsu Eudoxii, Concilium, quod in Cilicia futurum specta- batur, partim literis, partim minis diremit. Vide Baronium anno 366. numero 25.*

CONCILIABVLVM ARIANORVM  
SINGEDIMINVM IN MYSIA.

## NOTA.

Tempus &  
locus Con-  
ciliabuli.

\* *Conciliabulum.* ] Anno Christi 366. Valens & Ursacius Ariano- rum hæces, vna cum collegis suæ perfidiæ, aduersus Semiarianos Singedimi in Mysia Conciliabulum habuerunt, quo Semiarianos ad formulam Ariminensem & Constantinopolitanam, qua Filius Patri tantum absolute similis esse dicitur, approbandam inducere tentarunt; atque in eum finem ad Germinium Semiarianum episto- lam ipsi scripserunt, ab eoque responsorias acceperunt. Vtramque apud Hilarii fragmenta extantem hic adiicere placuit.

LIBERIVS SINGEDIMINVM. VALENTINIANVS IMP. 235  
PAPA. VALENS

ANNO  
CHRISTI  
366.

EPISTOLA SYNODALIS  
AD GERMINIVM.

*Domino religiosissimo fratri Germinio, Valens, Vrsacius, Gaius  
& Paulus, salutem.*

CVM de spe & salute sollicitudo incumbit, magis lau-  
dandi esse debent qui solliciti sunt, quam reprehensionem aliquam sustinere. Salus autem ac spes principali-  
ter in fide catholica consistit: & ideo quamuis conuen-  
tione ad omnes nostros fratres & coepiscopos nostros  
\* Valente & Paulo admonita noluerit, ad id quod rumor  
latitat de te respondere, domine religiosissime, tamen  
quia literis tuis testificatus es, te in eadem caritate perse-  
uerare, & paratum esse inlibatam dilectionem habere  
erga nos ostendere: propterea in vnum apud Singedi-  
mum congregati, iterum his commonefacimus sanctita-  
tem tuam, vt omni occasione ambigui exclusa, digneris  
rursus rescribere nobis, si a fide catholica, quæ Arimini  
a sancto Concilio exposita confirmataque est, cui etiam  
vniuersi orientis episcopi consenserunt, sicut iam profes-  
sus es te non recessurum, apertus \* quaritur significes.  
Est autem hoc, sicut in ea cautum est: Similem dicimus  
Filium Patri secundum scripturas, non secundum sub-  
stantiam, aut per omnia, sed absolute. Si enim hæc expo-  
silio immutata fuerit, manifeste quondam Basilii perfida  
assertio, propter quam Synodus facta est, qua etiam me-  
rito damnata est, reparabitur. Dignare igitur hoc quod  
quaritur, euidenter literis tuis declarare: non dixisse, aut  
dicere, vel dicturum, similem esse per omnia Filium Pa-  
tri, excepta innatiuitate, ne quod perlatores literarum  
Iouianus diaconus & Martyrius subdiaconus verbo de-  
precationis suæ, ante prædictos dominos meos fratres,  
& coepiscopos nostros Valentem & Paulum asseriebant,  
magis credibile esse videatur, quia per omnia similem esse  
Filium Patri profitearis. Si enim sic te, sicut optauimus,  
sentire scriptis tuis manifestaueris, querelam pro ini-  
uria a quibusdam clericis tuis Palladio & Gaio fratribus  
& coepiscopis nostris factam, licet nolueris, sicut prima

*Concil. Tom. 3.*

Gg ij

Baron. ann.  
366. num.  
26.

\* aper-  
tius

conuentione admonitus es, exquirere, ad affirmationem tuam pertinet, illis scilicet praestantibus pro sua temeritate rationem. Haec per Secundianum presbyterum, Pulgentium lectorem, & Candidianum exorcistam transfisimus caritati tuae, decimo quinto Kalendas Ianuarii, Gratiano nobilissimo P. & Dagalaifo consulibus, exemplum penes nos retinentes.

EPISTOLA  
GERMINII SEMIARIANI,  
ADVERSUS ARIANOS.

*Dominis fratribus religiosissimis Rufiano, Palladio, Seuerino, Nichæ, Heliodoro, Romulo, Muciano & Stercorio, Germinius in Domino salutem.*

Baro. ibid.  
num. 27.

VITALIS nunc militantis in officio sublimis praefecturae relatione comperimus, desiderare sanctitatem vestram significari vobis aperte, quid est quod de fide nostra Valenti, Vrsacio, Gaio & Paulo displiceat. Necessarium duxi his literis patefaciendum sanctitati vestrae, & id quod in vobis ipsis ab initio esse confido, dicere, nos hoc quod a patribus traditum accepimus, & diuinis scripturis, quod semel didicimus & quotidie docemus, Christum Dei Filium Dominum nostrum per omnia Patri similem, excepta innatiuitate, Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, integrum de integro, perfectum de perfecto, ante saecula & ante vniuersa, quae intelligi vel dici possunt, genitum, cuius natiuitatem nemo scit nisi solus Pater, ipso Filio asserente:

*Matth. 21. Quia nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi*  
*Ioan. 1. Filius, & cui voluerit Filius reuelare: per quem facta sunt omnia,*  
*Ioan. 5. sine quo factum est nihil, secundum diuinas voces ipsius saluatoris nostri Filii dicentis: Pater meus usque modo operatur,*  
*Ibidem. & ego operor. Et iterum: Quaecumque enim Pater facit, haec & similiter Filius facit. Et iterum: Ego & Pater unum sumus. Et*  
*Ioan. 14. iterum: Qui me vidit, vidit & Patrem. Et iterum: Quomodo Pater vitam habet a semetipso, ita dedit & Filio vitam habere in semetipso. Et iterum: Sicut Pater suscitatur mortuos & uiuificat, ita & Filius quod uult, uiuificat. Et iterum: Cre-*

ANNO CHRISTI 366.  
ditis in Deum, & in me credite. Et iterum: Neque enim Pater Ioan. 5.  
iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes ho-  
norificent Filium, sicut honorificant Patrem. Et iterum cui Pa-  
ter dixit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem no- Genf. 1.  
stram: nec dixit, ad imaginem tuam, vel ad imaginem  
meam, ne aliquam dissimilitudinem in Filii sui diuinitate  
demonstraret, sed propterea coniunxit ad imaginem  
& similitudinem nostram, ut Filium suum sibi similem  
per omnia Deum manifestaret. Iterum euangelista: Vidi Ioan. 1.  
gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratia  
& veritate. Et Apostolus ad Corinthios: In quibus Deus 2. Cor. 4.  
huius seculi excæcauit mentes infidelium, ut non resplenderent inlu-  
minatione euangelii gloriæ Christi, quæ est imago Dei. Et iterum  
idem Apostolus: Et transfudit in regno Filii caritatis, in quo ha- 1. Theff. 1.  
bemus redemptionem & remissionem peccatorum, qui est imago Dei  
inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Et iterum idem Apo-  
stolus: Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Iesu, qui cum Philip. 2.  
in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem  
Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in simili-  
tudinem hominum factus. Quis non intelligat, quia quemad-  
modum secundum serui formam vera fuit caro nostra in  
Christo, ita & in Dei forma vera sit diuinitas Patris in Fi-  
lio? Et iterum: Videte ne quis vos seducat per philosophiam & 1. Coloss. 8.  
inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum ele-  
menta huius mundi, & non secundum Christum, quia in ipso ha-  
bitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Si ergo omnis ple-  
nitude diuinitatis inhabitat in Christo, iam non ex parte  
similis, & ex parte dissimilis, sicut nunc asserunt, qui pro-  
pter contentionem suæ libidinis retrorsum abeuntes, se-  
metipfos a nobis auertunt.

Nam quod putant se pro magno de diuinis scripturis  
proferre, ut dicant, Christum facturam & creaturam: e  
contrario nos secundum Scripturas dicimus, & viam, &  
ianuam, & lapidem offensionis, & petram scandali, &  
fundamentum, & brachium, & manum, & sapientiam,  
& verbum, & agnum, & ouem, & pastorem, & sacerdo-  
tem, & vitam, & diem, & alia. Sed hæc omnia sic intel-  
ligimus & dicimus, ut virtutes & operationes Filii Dei  
intelligamus, non ut diuinam eius ex Patre natiuitatem  
huiuscemodi nominibus comparemus, quia ex nihilo

omnia per Filium facta sunt, Filius autem non ex nihilo, sed ex Deo Patre est genitus.

Valentis  
vaftricia  
notata.

Miror autem prædictum Valentem aut oblitum esse, aut certe subdole dissimulare, quid in præteritum gestum definitumq; sit. Nam sub bonæ memoriæ Constantio imperatore quando inter quosdam cœperat esse de fide dissensio, in conspectu eiusdem imperatoris præsentibus Georgio episcopo Alexandrinæ ecclesiæ, \* Pelusinarum, Basilio episcopo tunc Anquiritano, præsentem etiam ipso Valente & Vrsacio, & in ea prauitate post habitam vsque in noctem de fide disputationem, & ad certam regulam perductam, Marcum ab omnibus nobis eiectum fidem dictasse, in qua fide sic conscriptum est: Filium similem Patri per omnia, vt sancta dicunt & docent scripturæ: cuius integræ professioni consensimus omnes, & manu nostra subscripsimus. Si autem nunc aliquid spiritus huius mundi suggerit, ex aperto adhuc scire non possumus. Nam, vt nos professi sumus de scripturis, per omnia similem Filium Patri excepta innatiuitate, exponant & illi de scripturis, quemadmodum parte similis sit, parte dissimilis. Et ideo, fratres dilectissimi, hæc intrepidanter & sine mora vestræ dilectionis ad conscientiam, per Cyriacum officialem, cuius prima inuenta occasio est post Carinium diaconum, quem ad vos misi, professionem destinavi, vt per vestram quoque vigilantissimam deuotionem apud Deum, vniuersæ fraternitati intimetur, ne quis fallacia diaboli laqueis ignorans implicetur. Iam vestræ est vnanimitatis rescribere mihi, quid vobis sanctus Spiritus suggerat. Sane intimo caritati vestræ, me huic epistolæ, propterea quod manus dolerem, subscribere non potuisse: subscribendum autem mandasse fratribus & compresbyteris nostris Innocentio, Octauio, & Catulo.

ANNO  
CHRISTI  
366.

\* de  
scriptis